

et conthoralium / ipsorum in cancellaria vestra nominandarum / et cuilibet eorum specialem gratiam facientes dignemini ipsis / et eorum singulis concedere plenam remissionem omnium peccatorum suorum in mortis articulo ut in forma · Fiat · B ·

Item supplicat idem rex quatinus omnibus et singulis supra nominatis / et dictis eorum conthoralibus nominandis ut ipsi et eorum singuli / in altari portatili / missam per ydoneum presbiterum proprium seu alienum celebrari facere possint / et quilibet eorum possit / licenciam concedere dignemini graciose ut in forma · Fiat · B ·

Item supplicat quatinus omnibus et singulis supranominatis / ut ipsi eorum singuli quilibet cum viginti personis per eos / et eorum singulos assumendos conthoralibus uero singulis / omnium supranominatorum nominandis / ut earum singule cum decem personis per eas et earum singulas assumendas in locis ecclesiastico suppositis interdicto / dummodo / ipsi aut alie persone huiusmodi assumende causam non dederint / interdicto missam et alia diuina officia per ydoneum presbiterum proprium seu alienum coram se facere celebrari possint / licenciam concedere dignemini graciose / ut in forma · Fiat · B ·

— — — — —  
*Fol. 22 v. · · Datum Auinione · tercio nonas marcij anno secundo ·*

I vänstermarginalerna för samtliga: **Extra**

<sup>a</sup> *Sic* <sup>b</sup> *a deo ms* <sup>c-c</sup> *omnipotens Deus ms.* <sup>d</sup> *manifestas ms.* <sup>e</sup> *Härefter överstruket ipsorum.* <sup>f</sup> *Härefter överstruket suis.* <sup>g</sup> *Härefter överstruket suos.* <sup>h-h</sup> *Överstruket och i marginalen ändrat till et dimitte etc. correctum in originali B.* <sup>i-i</sup> *Första raden av denna supplik har förut skrivits fol. 21 v (mellan n. 11 och n. 12) men överstruktis; den lyder där: Jtem supplicat quatinus dicto archiepiscopo uel alteri prelato regnj sui committere dignemini et man* <sup>k</sup> *Härefter överstruket committere.* <sup>l-l</sup> *Över raden.* <sup>m</sup> *commitum ms.* <sup>n</sup> *commitum ms.*

6946.

1364 mars 6.

Avignon.

Urban V providerar sin penitentiarie, den prästvigde svartbrodern Gotskalk Falkdal, med biskopsstolen i Linköping, som blivit ledig genom att påven förflyttat den förutvarande biskopen därstädes, Nicolaus (Marci), i dennes frånvaro till den lediga biskopsstolen i Knin.

Härom underrättas domkapitlet i Linköping, prästerskapet och folket i Linköpings stift, Linköpings domkyrkas vasaller, ärkebiskopen i Uppsala samt konung Magnus av Sverige.

Reg. Auin. 157, fol. 147 r—v, ep. xxviiij, Vatikanark.

Jfr bulla 1363 1/9 (SD 6856), obligation 1364 16/3 (SD 6966) och supplik 1364 20/3 (SD 6968).

Den förutvarande biskopen i Knin, Johannes (von Töckheim), förflyttades likaledes 1364 6/3 (Reg. Auin. 156, fol. 91 r) till Gurk. Se Acta Salzburgo-Aquilejensia I: 2 (ed. A. Lang 1906), n. 769.

xxxxxxx  
 xxxxxxx

Dilecto filio Gotscalco Falcdal electo Lincopensi salutem etc. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis diuina dispositione commissum quo ecclesiarum omnium regimini presidemus utiliter exequi coadiuuante Domino cupientes solliciti [*corde*]<sup>a</sup> reddimur[,] ut cum de ipsarum ecclesiarum regiminibus agitur committendis quantum ab eo permittitur cuius uices in terris gerimus eis in pastores tales preficere studeamus[,] de quibus consideratis uirtutibus desuper sibi traditis presumimus uerisimiliter ac tenemus[,] quod creditas sibi animas uerbo instruere ualeant et exemplo et eorum studio loca que sunt deputata custodie spiritualium et temporalium grata suscipiant incrementa[,] Nuper siquidem ecclesia Lincopensi ex eo uacante quod nos venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Thiniensem tunc Lincopensem episcopum licet

absentem a uinculo quo eidem ecclesie Lincopensi cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absoluentes[,] ipsum ad ecclesiam Thiniensem tunc uacantem auctoritate apostolica duximus transferendum preficientes ipsum eidem Thiniensi ecclesie in episcopum et pastorem[,] Nos uolentes eiusdem Lincopensis ecclesie regimini ne diutine uacacionis exponeretur incommodis utilem et fructuosam presidere personam[,] cum nullus preter nos hac uice de ipsius ecclesie Lincopensis ordinacione se intromittere potuit neque possit pro eo quod nos diu ante uacacionem huiusmodi Lincopensis ecclesie prouisiones omnium ecclesiarum cathedralium tunc uacancium et imposterum uacaturarum per translaciones per nos imposterum faciendas de prelatibus eorum uilibet constitutis ad alias [cathedrales]<sup>b</sup> ecclesias tunc uacantes et inantea uacaturas disposicioni et ordinacioni nostre duximus reseruandas decernendo extunc irritum et inane si secus super hijs per quoscumque quauis auctoritate scienter uel ignoranter contingeret attemptari[,] Post deliberacionem quam de preficiendo eidem ecclesie Lincopensi personam utilem et eciam fructuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem[,] demum ad te[,] ordinis predicatorum professorem penitenciarum nostrum in presbiteratus ordine constitutum litterarum sciencia peditum uite ac morum honestate decorum in spiritualibus prouidum et in temporalibus circumspexit et alijs multiplicibus uirtutum tuarum meritis prout fidedignorum assercione percepimus insignitum[,] direximus oculos nostre mentis[,] Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis de persona tua eidem ecclesie Lincopensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica prouidemus teque illi preficimus in episcopum et pastorem curam et administracionem eiusdem Lincopensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo[,] In illo qui dat gracias et largitur premia confidentes quod eadem Lincopensis ecclesia sub tuo felici regimine gracia tibi assistente diuina prospere dirigetur et salubria dante Domino suscipiet incrementa[,] Jugum igitur Domini tuis impositum humeris suscipiens reuerenter et suaui eius oneri humiliter colla submitte eiusdem Lincopensis ecclesie sollicitam curam geras gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina uerbi et operis informando[,] quod dicta Lincopensis ecclesia gubernatori circumspexit et fructuosi administratori gaudeat se commissam ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus lacius diffundatur tuque preter eterne retribucionis premium nostre beniuolencie gratiam uberius ualeas promereri[,] Datum Auinione ij nonas marcij anno secundo

In eodem modo Dilectis filijs capitulo ecclesie Lincopensis salutem etc. Apostolatus etc. usque incrementa[,] Quocirca discrecioni uestre per apostolica scripta mandamus quatinus eidem Gotscalco electo tamquam patri et pastori animarum uestrarum humiliter intendentes ac exhibentes ei obedienciam et reuerenciam debitam et deuotam eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis[,] Alioquin sentenciam quam idem electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari[,] Datum ut supra

In eodem modo Dilectis filijs clero ciuitatis et diocesis Lincopensis salutem etc. Apostolatus etc. usque incrementa[,] Quocirca uniuersitati uestre<sup>d</sup> per apostolica scripta mandamus quatinus eidem Gotscalco electo tamquam patri et pastori animarum uestrarum humiliter intendentes ac exhibentes ei obedienciam et reuerenciam debitam et deuotam eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere cure-

tis[.] Alioquin sententiam quam idem Gotscalcus electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari[.] Datum ut supra

Jn eodem modo Dilectis filijs vniuersis vassallis ecclesie Lincopensis salutem etc. Apostolatus etc. usque incrementa[.] Quocirca vniuersitati uestre per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Gotscalcum electum debita honorificencia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta seruicia et iura a uobis sibi debita exhibere<sup>e</sup> integre studeatis[.] Alioquin sententiam siue penam quam idem electus rite tulerit seu statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari[.] Datum ut supra

Jn eodem modo Dilectis filijs populo ciuitatis et diocesis Lincopensis salutem etc. Apostolatus etc. usque incrementa[.] Quocirca vniuersitati uestre per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Gotscalcum electum tamquam patrem et pastorem animarum uestrarum deuote suscipientes ac debita honorificencia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis ita quod ipse in uobis deuocionis filios et uos in eo per consequens patrem inuenisse beniuolum gaudeatis[.] Datum ut supra

Jn eodem modo Venerabili fratri archiepiscopo Vpsalensi salutem etc. <sup>f</sup>-Apostolatus etc. <sup>f</sup> usque incrementa[.] Cum igitur ut idem Gotscalcus electus in commissa sibi dicte ecclesie Lincopensis cura facilius proficere ualeat tuus fauor sibi esse noscatur plurimum oportunus[.] fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandates[.] quatinus eundem Gotscalcum electum et commissam sibi ecclesiam tibi metropolitico iure subiectam habens pro nostra et apostolice sedis reuerencia commendatos in ampliandis et conseruandis ipsius ecclesie iuribus sic eum tui fauoris presidio prosequaris[.] quod ipse per tue auxilium gracie se possit in commisso sibi eiusdem Lincopensis ecclesie regimine utilius exercere tuque diuinam misericordiam et dicte sedis beniuolenciam ualeas exinde uberius promereri[.] Datum ut supra

Jn eodem modo Carissimo in *Christo* filio Magno regi Suecie illustri salutem etc. Gracie diuine premium et preconium human[<sup>e</sup>] laudis acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim ecclesiarum cathedralium regimini presidentibus honor debitus impendatur[.] Nuper siquidem etc. usque incrementa[.] Cum itaque fili carissime sit uirtutis opus Dei ministros benigno fauore prosequi ac eos uerbis et operibus pro regis eterni gloria uenerari[.] celsitudinem regiam rogamus et hortamur attente[.] quatinus eundem electum et prefatam Lincopensem ecclesiam sue cure commissam habens pro apostolice sedis et nostra reuerencia propensius commendatos sic ipsos benigni fauoris auxilio prosequaris[.] quod idem electus tue magnitudinis fultus auxilio<sup>h</sup> in commisso sibi cure pastoralis officio possit Deo propicio prosperari ac tibi exinde a Deo perennis uite premium et a nobis condigna proueniat actio graciaram[.] Datum ut supra

I vänstra marginalen: A

<sup>a</sup> Saknas ms; jfr formuläret i bullor 1370 30/1 (APD 670) och 1375 22/10 (APD 744). <sup>b</sup> Saknas ms; jfr formuläret i bullan 1370 14/1 (APD 668). <sup>c</sup> Så ms; ita quod bullor 1369 25/6 och 21/7 (APD 663—664). <sup>d</sup> Över raden. <sup>e</sup> Härefter understruket ins. <sup>f-f</sup> Detta följebrev brukar inledas med arengan Ad cumulum tue cedit salutis et fame si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas diuine propiciacionis intuitu oportuni presidij ac fauoris gracia prosequaris, varefter följer Nuper siquidem etc., t. ex. i bullan 1352 9/7 (SD 5349). <sup>g</sup> humanis ms. <sup>h</sup> Över raden.